

Q. D. B. V.

MEMORIAM

MASCIANAM

GYMNASIO ZITTA-

VIENSI CONSECRA-

TAM,

*ad d. 13. Mart. M DC LXXXI.*

Pridie Lucis Emortualis Revolutionem

Omnibus

Gymnafii Patronis ac Fautoribus

commendatam esse cupit

CHRISTIANUS Weise / R.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.



**A**nnus Seculi præsentis sextus & decimus brevi dierum spatio duos amisit Viros, alterum intra Muros utilem, alterum extra Lusatiaë fines Patriaë gloriosum. Nam die 14. Febr. Vir de hoc Gymnasio meritissimus, MELCHIOR GERLACHIUS Apoplexia tactus obiit, ut quo die publicam Comœdiam solenniter esset acturus, ferali pompa è suis ædibus efferretur. Die 14. Mart. S. N. Dessaviaë denatus est MICHAEL MASCUS Jctus, Brandeburgensis ac Anhaltinus Consiliarius, Vir de Academia Lipsiensis, cujus Rectoratum aliquoties gessit, de Urbe Brunsvicensis, cujus aliquando fuit Syndicus, tandem de variis ac splendidissimis Principibus ita meritis, ut Zittavia sæpe hætenus jactitare potuerit suum hunc Civem, imo Rectoris filium: præsertim quod in Testamento sibi prospexisset de perpetua Memoria, singulis annis per Gymnasii hoc Auditorium repetenda. Et sane dignus hic Vir, qui primum deprædicatorem haberet Gerlachium, in Eloquentiâ tum Scholasticâ, tum Politicâ eo tempore celeberrimum, non tamen excidit spe sua cum anno 1618. Successor Gerlachii PREILIUS eruditam suam facundiam Masco destinaret, simulq; glaciem frangeret aliis de nobilissimo hoc argumento impostero dicturis. Quicquid enim obstreperent bellorum injuriæ, quæ clausis auditoriis Mascianam hanc memoriam simul intercludebant; pace tamen paulisper affulgente rediit pristina recordatio, per pulpita celebratus fuit Viri optimi in rem  
Scho-

Scholasticam favor. Cum igitur laudandi Ordo me primum tangat, ut Rector, celeberrimum Masci Rectoris filium, imo Rectoris RÖSELERI Privignum & Alumnum posthuma velut gloria prosequar, quis miretur Gerlachii mentionem simul animo fuisse oblatam? Moriebatur Rector communis Zittaviæ tum succrescentis Præceptor; Moriebatur Jctus in quo perspectum, quid in Salutem Germaniæ Rector Zittanus procreasset. Ille tacito Testamento memoriam successoribus consecraverat; hic aperto: ne quis nesciret locum: ubi vellet laudari: Alibi invenerat sepulchrum; Zittaviæ, cui vitam debebat, vivere volebat post sepulchrum. Ille elatus à discipulis; hic servatus ab iis, qui Masco Parenti sero tandem successissent. Forte laudari semper voluit in hac Scholâ, ut simul duos Rectores, Parentem & Vitricum faceret immortales: optimam raturam pietatem, si post mortem, apud Successores, florere magis inciperent Antecessores. Sciverat Primæ Classis Auditorium, ut nunc conspicitur, nec à Masco, nec à Röselerio fuisse calcatum: Inde volebat eos ingredi cœtum humanitatis, ubi jam rebus humanis fuissent egressi. Imo volebat eos laudari, qui Curatores novi Ædificiî laudabiliter educassent. Quæ quidem omnia sic se habent, ut Rector promptissimam suam operam contribuere, Auditorum vero, quos Eruditio literis conjungit, benevolam præsentiam polliceri prorsus debeat. Quamobrem quos nulla negotia distrahunt, decenter velim rogatos, ut ad diem crastinum, finitis in Templo vicino sacris, semihorulæ spatio Rectoris filium si non reviviscere, tamen ab extremâ oblivione vindicari intelligant. Dabo operam, ut quæ proferuntur, jubente sic Testamento, Juvenibus fidei nostræ commissis imitandi fervorem & contentionem inspirent. De meis enim officiis, jam ad singula promptissimis malo re ipsa loqui, quam promittendo gloriari.

*P. P. d. 12. Mart. 1681.*

Oda

## Oda.

Felicitatem Scholasticam complexa, ut concini satis  
commode queat, finitâ Parentatione.

1.

**J**esu qui nos ad Scholarum  
Sacra junctim provocas,  
Ac in flore literarum  
Spem futuram collocas,  
Fac ne desit impetus,  
Fac ne fallat exitus.

2.

Mitte Flamen sanctitatis,  
Quod momenta dirigat,  
Ne dum crescit flos ætatis,  
Mentem cura negligat:  
Grex subinde firmior,  
Sit subinde doctior.

3.

Pelle morbum, ne docentes  
Vel discentes opprimat,  
Ac utrinq; diligentes  
Fax acerba dirimat.  
Sic perenne vinculum  
Junget auditorium.



4.

Pestis nulla claudat ædes,  
Belli fama langveat,  
Ne virtutis alma sedes,  
Undiquaq; frigeat:  
Patriæ tranquillitas  
Nostra sit felicitas.

5.

Si qua fata vel successum  
Prona fert occasio,  
Perge Jesu, ne progressum  
Sera det promotio;  
Sitq; sortis præmium  
Tempestivè commodum.

6.

Sint Amici, sint Fautores,  
Qui præbea conferant,  
Atq; versus contemptores  
Nos libenter asserant:  
Immo cælum porrigat,  
Si quid orbis denegat.

7.

Tu largire, nos precamur.  
Comproba clementiam;  
Ac si quando jactitamus,  
Serva Conscientiam;  
Robora, si pungimur;  
Salva, cum defungimur!

